



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

Monitoria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

cum Officio Monialium in Choro, sed ritu Romano, qui Romano vtuntur Breviario, & Missa sumpta de Comuni, si propria non habetur in Missali Romano. Cong. Rat. 20. Noue. 1628.

34 Annuum stipendium certa summa pecunie detur, nisi Episcopus eius loco dari triticum, vel vinum concesserit. Prou. 4.

35 Nihil accipiant, etiam quod vsui sacro deseruiant, neue quid elaboratum, ac ne laborem quidem, opusue, quod in vestibus faciendis ponitur. *ibid.*

36 Neque ab vlla, nisi à Præfecta, seu ea, quæ sacrificia præest, celebrandi Missas minus suscipiant. *ibid.*

37 Neque colloquuntur cum Monialibus sine licentia in scriptis, nisi cum ijs, quæ sacrificia præstant, & de necessariis, ad totam Ecclesiam. Prou. 1.

38 Concionatores dentur apti saltem bis in singulis mensibus ad cancellos collocatos, vel Ecclesiam. *ibid.*

39 Neque ijs liceat cum Monialibus separatum loqui. *ibid.*

V. *Missæ. num. 8. 21.*

A D D I T I O.

Non licet Generali audire confessiones Monialium sui ordinis sine deputatione speciali Episcopi. *Congreg. Conc. 13. Nouemb. 1627.*

Monialium cura in temporalibus.

1 **M**oniales ea, quæ vigore instituti sui bona stabilia non possederunt, in posterum ea possunt retinere. *Congr. Episc. 28. Martij 1588.*

2 Omnia bona mobilia, & immobilia Cōuentui incorporentur. *Trid. sess. 25. c. 2.*

3 Administratio bonorum sit penes Officiales tantum, & hæc sunt amouibiles. *ibid.*

4 Mobilium vsus sit pro necessitate cuiusque, & iuxta statum paupertatis, quam profitentur. *ibid.*

5 Quæ in his deliquerit biennio voce actiua, & passiuâ priuata sit. *ibid.*

6 Quicquid acquisierint, ad Abbatissam deseratur, quæ in primis subueniat arbitrio suo, necessitatibus illius, cuius

opera vel contemplatione sunt res datae: reliquum conuertatur in vsum communem. Decisum referunt DD. apud Barbof. *alleg. 103. num. 3.*

7 Si tre alieno grauate non habent vnde viuant, vestiatur, adstringantur parentes, & consanguinei vsque ad secundum gradum, necnon hæredes bonorum, eorumdem parentum ad ijs subueniendum. *Congr. Episc. 1562.*

8 Prædia locentur, sub hasta auctione facta, nisi aliud magis expediat. *Pro. 4.*

9 Ne cogantur Moniales contribuere aliquid Seminario, si beneficia non sint eis vnita. *Congr. Episc. 1593.*

10 Si quæ fiant alienationes, moneatur Episcopus. *Pro. 4.*

11 Inuentarium bonorum, & iurium in Archiuo Episcopali asseruetur. *ibid.*

12 Non possunt Ordinarij deputare religiosus particulares cuiuscumque gradus in administratores bonorum Monialium. *Congr. Episc. 22. Aug. 1605.*

13 Procuratores Monialium quolibet triennio mutari debent. eadem 31. Iunij 1615.

14 Iidem quotannis suæ administrationis rationem reddant. *Prou. 1.*

15 Præfecta quoque deputatis curatoribus. *ibid.*

16 Eadem neminem admittat ad monasterij procuratoriam, vel famulatum, quem non probarit Episcopus. *ibid.*

17 Et eodem modo eligantur medici, tonsores, & alij ministri. *ibid.*

18 Translata Moniali ad aliud Monasterium pro eiusdem gubernatione, non licet transferre fructus dotales. *Congr. Episc. 9. Octob. 1618.*

19 Fugitiua Moniali inter Conuertitas reposita, dentur monasterio Cōuertitarum bona illius; sed post eius obitum priori monasterio restituantur. *Prou. 6.*

V. *Monialium clausura. n. 22. 35.*

Monialium communes leges. n. 34. 35. 36.

Monialium Officiales. num. 57. 38.

Monialium largitio & per totum Regul. n. 14. 15. 16.

Monitoria.

V. *Excommunicatio.*